



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dei Immortalis In Corpore Mortali Patientis Historia

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1694

Caput VII. Christus in atrio Pilati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49178](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49178)

olim coram Christo gesserit irreverentiâ, præ pudore & indignatione, tota deficeret, & in nihilum redigeretur. Sed hæc omnia abscondita sunt ab oculis vestris, quia Christus est hîc Deus absconditus. Interim mi JESU, Rex cordis, non ita es absconditus oculis meis, quin videam; & hîc coram omnibus agnoscam, tantæ te esse excellentiæ, ut omnium obsequiorum, amorum, honorû, & cujusvis subjectionis, quam res ulla creata potest adhibere, debitor existam. Dum te ibi in âra existentem, ut verum Deum considero, ut Sapientiam Patris æterni, ut splendorem ejus claritatis, ut speculum ejus pulchritudinis, ut vivum characterem ejus substantiæ: animis deficio, caligant oculi, stupet intellectus: & aliud nihil possum, quàm mirari, laudare, adorare sine fine incomprehensam majestatem tuam, infinites ingeminans: *Tu es Deus, & non est alius præter te.*

*Judith 9.
19.*

CAPUT VII.

Christus in atrio Pilati.

§. I.

De Flagellatione Meditatio prima.

Spectaculum sacro plenum horrore, nobis hodie exhibebit Synagoga plena iniquitate; quare & attentas exigo, dum exponitur, aures; & intentos, dum proponitur, oculos. Nos interim, ô Christe! si invenimus gratiam in oculis tuis, supplices obsecramus, ut qui & surdos fecisti audire, & cæcos videre, aperias & aures, ut cum fructu auditores; & oculos, ut cum sensu spectatores hîc nos sistamus. *Tunc ergo apprehendit Pilatus Iesum, & flagellavit.* Itane verò evangelista, tanta, tam augusta, per omnia omnia

Ioã. 19. 1.

- nium ætatum curricula, nunquã satis explicanda mysteria, unius verbi perstringis compendio, *Flagellavit?* Non invitas, antequam hoc verbum pronuntias, ad silentium cum Moyse, cœlum & terram, dicens: *Audite cœli, quæ loquor: audiat terra verba oris mei?* Non evocas ad stuporem totum cœlorum theatrum, cum Jeremia, dicens: *Obstupescite cœli super hoc, & porta ejus desolamini vehementer?* Non clamas, antequã hoc explicas, cum Michea: *Audite populi omnes, & attendite, terra & plenitudo ejus, & sit Dominus Deus vobis in testem?* Non ruis, antequam hoc scribis, cum Ezechiele, in terram, & ejulando exclamas: *Heu, heu, heu, Domine Deus! Flagellavit?* Stupet lingua, horret mens, pavet animus, deficit spiritus. *Flagellavit?* Quò hîc me convertam? an ad Romanos crudelissimos, qui flagellârunt? an ad Jesum piissimum, qui flagellatur? an ad nos Christianos, pro quibus flagellatur? Sed quid juvat vel irasci Judæis, vel invchi in Romanos? in te convertito bilem. Dicat quisque cum Davide: *Ego, ego sum qui peccavi; & ideo ego sum qui flagellavi.* Sicut enim per Adamum omnes peccavimus; ita per Pilatum omnes Christum flagellavimus. Quare dum hîc barbaram satellitum refero carnificinam, scito quia de te narratur non fabula, sed historia. Interim dum præludo ad rei enarrandæ seriem, conledete omnes. Sedet in tribunali Pilatus Judex ipsius Justitiæ, sed reus injustitiæ; assident in subselliis Principes Sacerdotum, jam principes omnium flagitiorum; circumfident Seniores, pleni dierum, sed vacui virtutum; in humilioribus subselliis adstant Scribæ, quorum nomina scripta erant in libro mortis, & Pharsæi, hypocritæ isti, *invis pleni rapinâ & immunditiâ.* In plano solo
- Deut. 32. 1.**
- Ier. 11. 12.**
- Mich. 1. 2.**
- Eze. h. 9. 8.**
- 2. Reg. 24. 17.**
- Matt. 23. 25.**
- Matt. 23. 33.**

solo consistit circumfusa fax Judaicę plebis: *Serpentes omnes, & genimina viperarum.* Denique hunc in locum coacti erant omnes ex tota Judæa selectissimi Proceres, vel potius carnifices, impleturi ad cruentam columnam patrum suorum mensuram. Dum avidè quem flagellent, & flagellando perdant, perdit illi expectant: credo JESUM corde ad Patrem converso, hæc verba Prophetæ protulisse: *Me expectaverunt peccatores, ut perderent me.* Adest tandè quem expectant, *expectatio Gentium,* non Judæorum. Ingressus in atrium, supplicii sui theatrum, jam spectaculum factus Judæis, Gentibus, Angelis, Deo, conversus ad circumfusæ multitudinis coronam, quam animo singulis optabat, eam capite omnibus salutem impertiebat. Aspicitur hîc splendor Patris à filiis tenebrarum, & despicitur; nam *caci illi, & duces cecorum* videntes non videbant, quia invidebant; *excacaverat enim illos malitia eorum.* Comprehenditur à servis peccati, Princeps libertatis, juvenis ille *speciosus formâ præ filiis hominum,* in quo paulò post non erit *species, neque decor.* Traditur manibus impiorum Pietas ipsa, cui omnia à Patre erant tradita. Videor audire eum tacitè conquerentem, ut olim in fimeto suo Job: *Conclusit me Deus apud iniquum, & manibus impiorum me tradidit.* Exiit vestibibus propter filios nudos Adæ, qui *induerant maledictionem sicut vestimentum.* Nudatur, cui *omnia nuda sunt,* ne amplius timeret Adam, eò quòd nudus esset, dum videret fratrem suum in omnibus sibi similem. Apparet interim filius Patris *dilectus, candidus, & rubicundus.* Candidus innocentiam, testante Pilato: *Non invenio in eo causam.* Rubicundus verecundiam & confusione: *Confusus sum, & erubui: quia sustinui opprobrium.* Dum nudatur,

Ps, 118. 9

Gen. 49.

10.

Putat

Salmerò

Judæos

quoque

adfuisse

in fla-

gellatio-

ne.

Matt. 15.

14.

Sap. 2. 21

Ps. 44. 3.

Isa 53. 2.

Iob. 16. 12

Ps. 108.

13.

Heb. 4. 13

Cāt. 5. 10

10ã. 19. 6

Ier. 31. 19

Ier. 31.

19.

tur. illudit ei, & irridet noverca Synagoga, ut filia
 2. Reg. 6. Saülis Davidem: *O quam gloriosus fuit hodie Rex no-*
 20. *ster, discooperiens se, & nudatus est quasi si nudetur u-*
nus de scurris. Sed quem ut scurram expellit Ju-
 dæorum Synagoga, ut Regem admittit Christia-
 norum ecclesia. Tantò jam nobis charior, quan-
 tò pro nobis vilior. Sed non soli hujus sceleris
 sunt rei Judæi: veniunt in societatem horum
 sceleratorum etiam Christiani. O nostram
 impudicitiam! non audeo, quæ cogito, profer-
 re, ne vel locum hunc, vel linguam meam, vel au-
 res vestras contaminem; tantum enim est illud
 quod animo volvo, flagitium, ut vix sine flagitio
 possit vel commemorari, vel audiri. Sed bene in-
 telligenti, & malè facienti pauca. Nudare, ô Ju-
 venis, sed amore pudicitiaæ cum Joseph tuenda,
 qui dum vestem exuit, crimen excussit, & relicta
 quibus detinebatur exuviis, spoliatus quidem,
 sed non nudus aufugit, qui jam erat tectior in-
 dumento pudoris, quàm pallio tergoris. Non est
 nudus, nisi quem culpa nudaverat gratiâ. Si sit
 quæ vestem detinet, & ad crimen invitat, tunc
 vel relicta sindone nudus aufuge. Relictis etiam
 laceris vestibus corporis, sequetur te integritas
 animi. Quæris cur Jesus nudatus vestibus? ut te
 indueret veste nuptiali: non illâ qua in nuptiis
 utimur profanis; sed qua in sacris, dum animam
 dilectam desponsat sibi in fide, quam in charitate
 1er. 31. 3. *perpetua dilexit.* Jam itaque nudus est Jesus; nunc
 omnia nobis dedit, sua, & se; nihil sibi retinens,
 præter amorem nostrum. O Jesu! nudus egressus
 es de utero Matris, nudus regredieris ad sinum
 Patris; sine interim, dum nudus es, ut nos, qui
 Gen. 27. *pauperes, & cæci, & nudi sumus, induamur vesti-*
bus tuis valde bonis primogeniti nostri fratris,

his induti ad eam Patrem nostrum, & tuum, ut ipse sentiens *vestimentorum fragrantiam benedicat nobis*. Te interim, cum aliud non habemus, nudum operiemus sacco nostræ ignominia, ut à te induamur *stolâ gloria*, dum judicandi audiemus ex ore tuo: *Nudus eram, & operuisti me.*

Isa. 15. 5.

Matt. 25.

36.

S. II.

Ligatur ad columnam.

Stabat jam nudus in humana figura Deus, & qui adstabant, veriti ne fugeret, qui ubique est, injiciunt manibus funus; ne fortè quem ligaverat amor, solveret timor: quasi verò fortiora essent vincula crudelitatis quàm funicula charitatis. Stringunt illum arctissimè funibus, à quo Sampson acceperat robur rumpendi *vincula, quasi fila telarum*. Stat vinctus ad columnam, à cujus nutu *columna cœli contremiscunt & pavent*. Sed quid opus est, Judæi, funibus? *Oblatus est, quia ipse voluit*: ad columnam ligatur, quia voluit: flagellatur, quia voluit. O *charitas!* (exclamat Laurentius Justinianus) *quàm magnum est vinculum tuum, quo Deus ligari potuit! Nullum vinculum Filium Dei ad columnam tenere potuisset, si charitatis vinculum desuisset*. Interim dum in atrio Pilati proponitur grande illud spectaculum, Deus nudus & vinctus ad columnam, sub illa columna, quam stringebat brachiis, *Brachium Domini Fortitudo Dei, tota Inferorum regio imis concussa sedibus tremebat*. Tota hæc rerum universitas in antiquum ruitura chaos, funditur perisset, nisi cœlorum fabrica, & terrarum machina toto pondere in nudos Christi humeros tunc inclinata, recubisset. Jesu Christi columna erat fulcrum terræ, basis cœli. Jacent ad pedes columnæ aculeatæ virgæ, no-

Jud. 16.

12.

Iob. 26. 11

Isa. 53. 8.

In ligno

vita, c. 4.

Isa. 51. 6.

- dosi funes, hamata flagella, ferrea catena, instrumenta dicam crudelitatis humanæ, an charitatis divinæ? quibus inspectis Jesus conversus primum ad Judicem, tum ad carnifices, deinde ad Spectatores, tandem ad Patrem tacite his verbis offert totum cum sanguine corpus: *Ego in flagella paratus sum.* Para te, ô mitissime Agne; quia ingens tibi ex tetra Synagogæ nube imminet tempestas: quia si *juxta mensuram delicti erit plagarum modus*, profecto cum delicta, quæ suscepisti expianda, sint innumera, erit & plagarum modus sine modo & numero; accipies verbera sine mensura. *Paratus sum.* Quod si *multa sint flagella peccatoris*; Tu qui voluisti Patri pro omnibus satisfacere peccatoribus, *plagis vapulabis multis.* *Paratus sum.* Quod si in nobis à *planta pedis usque ad verticem capitis non est sanitas*; à planta pedis, usque ad verticem capitis, necesse est flagelleris, ut sit sanitas. *Paratus sum.* O misericordia in miseros! ô pietas in impios! Tu ad omnia fanda & nefanda pro me nefando perferenda es paratus; at verò de me quid dicam? Tunc tantum paratum est cor meum, dum possum affligere cor tuum. Si dicant seductores: *Sortem mitte nobiscum, in marsupium unum sit omnium nostrum*, Paratus sum. Si dicant helluones: *Venite, sumamus vinum, & implemur ebrietate*, Paratus sum. Si invitant cosmophilii: *Venite, fruamur bonis, & ut amur creaturâ tamquam in juventute celeriter: coronemus nos rosis*, Paratus sum. Sed si tu dicas, quod illi olim adolescenti: *Veni sequere me*, non tantum hic non audis me paratum; sed illud: *Rogo te, habe me excusatum.* Quoties ego dixi cum Propheta: *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum?* at cum video manum tuam paternam armatam flagello, ut errantem filium castiges, clamo cum altero Propheta: *Manum tuam longè fac à me.* Quoties iterum

Ps. 37. 18

Deut. 15.

Ps. 31.

Luc. 12.

Isa. 1.

Prov. 1.

II.

Isa. 56.

12.

Sap. 2. 6.

Matt. 19.

21.

Luc. 14.

19.

Ps. 56. 8.

Job. 13. 22

iterum magno promissor hiatu, jactavi cū Petro :
Tecum paratus sum, & in mortem, & in carcerē ire? Sed *LUC. 21.*

quod profiteor lingua, diffiteor vitā : tam tardus *33.*

operis executor, quā velox exequendi promissor. Unde illa tam desultoria levitas, & constans inconstantia? Quia nō sum columna, sed palustris arundo, quæ vento nunc plausus, nunc honoris, nunc adversitatis, nō tantū agitor, sed dejicior.

Qui tibi adhæret, stabit in prosperis, perstabit in adversis, sibiq; semper sui similis constabit, omnibus circa se cadentibus, velut columna. Talis erat Paulus, vinctus Christi Jesu; hinc ipse Christo alligatus, ausus est, quidquid formidabile est, lacessere, cū masculâ voce exclamaret: *Quis nos separabit à charitate Christi?* verè *crura ejus columna*

marmorea. Quid miraris? Audi loquentē: *Ecce alligatus ego spiritu.* Audiant *carnales, & animales.* *Alligatus spiritu.* Si finis te ligari à lupa aliqua, à Dalila; ligaberis, ut Samson, ad columnā, sed ad tuā ignominiam; ad columnam, sed quæ tibi pariet ruinam: ad columnam, sed quæ tibi non gloriæ erit monumentum, sed vitæ sepulchrum. At revocat me ad suam columnam, sed nudus, & vinctus Jesus; qui frigore tremulus, expectat ab homine verbera, ut nova homini conferat beneficia, Dum Filius Dei, nudus vestibus, quasi scurra; vinctus ad columnam, quasi latro; condemnatus ad flagella, quasi trifur, in amplo illo theatro omnium ludibrio, sannis, contumeliis, quasi totius mundi probrum; terræ peripsema, hominum odium, exponitur: videor eum audire conversis ad nos & homines omnes luminibus, quibus *illumina-*

om-
nem hominem, has amoris, quas dolor exprimit, tacitè deponentem querelas: Ego æterna sum Sapia, & nemo me consulit: Veritas, & nemo

Rom 8. 15

Cant. 1. 5.

Act. 20.

22.

I. Cor. 33.

Ioan. 1.

credit: Bonitas, & nemo amat: Misericordia, & nemo sperat: Justitia, & nemo timet: Pulchritudo, & nemo aspicit. Sum lux, & pauci ad me sua lumina vertunt: sum dux, & vix est qui me sequitur: sum via, & omnes à me fugiunt: sum Rex regum, & pudet omnes mihi servire: sum vera & sine felle voluptas, & omnes me fastidiunt: sum facilis dare multa & magna roganti, & nemo me rogat. Si ergo, ô homo, post tot præsidia percas, non hoc defectus est bonitatis meæ, sed culpa voluntatis tuæ. Perditio tua ex te, ô homo. Ita est; sed & redemptio mea ex te, homo Deus. Scio quia ex me perditio mea: Tu enim, fili hominis,

Luc. 9. 56 *non venisti animas perdere, sed salvare.* Perdo me, dum desero te. Ne ergo ego sim ut filius ille perditionis, qui se perdidit, dum te deseruit, adhærebo firmiter tuæ columnæ: sed ne ab illa avellar unquam, injice tua hîc vincula, & ita illa stringe, ut nullus illa solvat, nisi quæ solvit vincula corporis, mors. O sacra columna! Mihi adhærere tibi, bonum est. Tenebo te. Te nixus vincam quidquid me vel oppugnare audet, vel expugnare potest. Hanc tenens columnam, spero victoriam, & post victoriam in regno tuo columnæ constantiam, sic te prædicente, & promittente: *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei.*

Apoc. 3. 22.

§. III.

Flagellatur.

HORROR & stupor, ubi estis? ô Justitia! averte oculos furoris tui, ne fortè moriamur. O Misericordia, huc advola; salva nos, perimus. Nam inter flagella *Iustus perit, & non est qui recogitet.* *Obstupescite cæli super hoc.* Qui in principio crea-

Isa. 57. 1.

Isa. 1.

creavit cœlum & terram, hic in terra, spectante cœlo, pro homine flagellatur, & adhuc ab homine non amatur. O Jesu! veneretur meum silentium, tuum supplicium. Non possum eloqui, quod tu voluisti perpeti. O Pater æterne! moritur Filius tuus inter manus peccatorum. Sed noli irasci: quia *expedit nobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* O Pater æterne! miserere meï pereuntis, propter Filium pereuntem. O Fili! *Pater misericordiarum*, miserere meï toties rei, & propter flagella tua, dimitte peccata mea. O Justitia! miserere, quia venit tempus miserendi. Clamant è limbo captivi patres, è cœlo Angeli pacis amarè flentes, è terra homines pereuntes: Miserere.

Ier. 11. 5.

2. Cor. 1.

MEDITATIO II.

§. I.

¶ *Nudatur Christus.*

HAstenus in minoribus prælusimus: jam ventum est ad Triarios, jam velut signo dato totis concurrunt viribus hinc Christi amor, inde hominis furor. Jam inter misericordiam & Justitiam, velut decretoriâ pugnâ decernetur de summa rei, quando in medio terræ, *Dei & hominum mediator* stabit ad columnam vestibus nudus, funibus vinctus, flagellis cæsus.

1 Tim. 2. 5

Pilatus importunâ Judaicę feritatis rabie coactus, populi Christum ad crucem poscentis vociferationibus victus, metu civilis tumultus compulsus maluit summo cum flagitio violare Justitiam, quàm tanto cum periculo propugnare Innocentiam. Fateor, fecerat Pilatus, ut Christum liberaret, quid quid ferè potuit non tamen quid quid debuit; benignus in Christum, & simul officiosus